Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

quia te pure et christiane diligere cupio, nec quicquam retinere in mente mea quod distet a labiis. Non enim convenit ut ab adolescentia usque ad hanc etatem in monasterio cum sanctis fratribus desudans labore, aliquid contra episcopum communionis mee scribere audeam, et eum episcopum quem ante cepi amare quam nosse, qui me prior ad amiciciam provocavit, quem post me orientem in scripturarum eruditione letatus sum. Igitur aut tuum negato librum, si forte non tuus est, et desine flagitare rescriptum ad ea que non scripsisti, aut si tuus est, ingenue confitere, ut si in defensionem mei aliqua scripsero, in te culpa sit qui provocasti, non in me qui respondere compulsus sum. Addis preterea te paratum esse, ut si quid me in tuis scriptis moverit aut corrigere voluero, fraterne accipias, et non solum me benivolentia mea te gavisurum, sed ut hoc ipsum faciam deprecaris. Rursum dico quod sentio: provocas senem, tacentem stimulas, videris iactare doctrinam. Non est autem etatis mee putari malivolum erga eum cui magis favere debeo. Et si in euangeliis ac prophetis perversi homines inveniunt quod nitantur reprehendere, miraris si in tuis libris, et maxime in scripturarum expositione que vel obscurissime sunt, quedam a recta linea discrepare videantur? Et hoc dico, non quod in operibus tuis quedam reprehendenda iam censeam. Neque enim lectioni eorum umquam operam dedi, nec horum exemplariorum apud nos copia est, preter Soliloquiorum tuorum libros et quosdam commentariolos in psalmos, quos si vellem discutere, non dicam a me qui nichil sum, sed a veterum Grecorum docerem interpretationibus discrepare. Vale mi amice karissime, etate fili, dignitate parens, et hoc a me rogatus observa, ut quicquid mihi scripseris, ad me primum facias pervenire.

Item Augustinus ad Ieronimum.
xxx.iii.

Domino dilectissimo et cultu sincerissimo caritatis observando atque amplectendo fratri et conpresbytero Ieronimo Augustinus. Habeo gratiam quod pro subscripta salutatione plenam epistolam reddidisti. Sed breviorem multum quam ex te vellem sumere tali viro, a quo tempora quantalibet occupet nullus sermo prolixus est. Quamquam itaque nos negociis alienorum eorumque secularium curis circumstrepentibus ingentibus, tam epistole tue brevitati facile non ignoscerem, nisi cogitarem quam paucioribus meis verbis redderetur. Quare aggredere, queso, istam nobiscum litterariam collationem habere, ne multum ad nos disiungendos liceat absentie corporali, quamquam simus in domino spiritus unitate coniuncti, etsi a stilo quiescamus et taceamus. Et libri quidem quos de horreo dominico elaborasti, pene te totum nobis exhibent. Si enim propterea te non novimus, quia faciem corporis tui non vidimus, hoc modo nec ipse te nosti, nam tu quoque non vides eam. Si autem tibi non ob aliud notus es nisi quia nosti animum tuum, et nos eum mediocriter novimus in litteris tuis, in quibus benedicimus dominum, quod tibi et nobis omnibusque fratribus qui tua legunt te talem dedit. Liber quidam tuus inter cetera non diu est quod venit in manus nostras. Que sit ei inscriptio nescimus adhuc. Non enim hoc codex ipse, ut assolet, in liminari pagina pretendebat. Epitaphium tamen appellari dicebat frater apud quem inventus est.